



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

III. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

anima mea te dignè magnificet, & spiritus meus cum gaudio in te exultet.

I. *Magnificat anima mea Dominum.*

Anima mea altè & magnificè de Deo sentit, omni laude majorem esse agnoscit, pro viribus tamen laudat Dominum, ejusque bonitatem, misericordiam, sapientiam, charitatem, rationemque ejus dominandi præstantissimam, quantum potest extollit.

II. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

O Salvator mihi intimè præsens! non solum cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum; sed & exultavit spiritus meus, in te Deo salutari meo: gaudium enim meum non in corporeis sed spiritualibus; non in donis tuis, sed in donorum Largitore, non in creatis, sed in Creatore & multò magis in Jesu Salvatore meo totum colloco, ac de infinitis ejus perfectionibus exulto.

III. *Quia respexit humilitatem ancille sue, ejusque parvitatem & vilitatem non despexit. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, sive præsentēs,*
sive

live futuræ. Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo: *psal. 34.* quia humilia respicit in cœlo & in terra, suscitans à terra inopem, & de sercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus populi sui, respexit humilitatem & indignitatem animæ meæ, ancillæ suæ, pro ea redimenda ad tanta agenda & patienda se demittens, & proprio eam corpore ac sanguine pascens. Ecce enim ex hoc tempore, ex hoc beneficio & honore, ex hoc certo æternæ felicitatis pignore, beatam meritò me dicent omnes generationes.

IV. *Quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum nomen ejus*

Magni Filii magnam Matrem efficiens Maternitatem cum Virginitate conjungens, aliaque mirabilia in me operans, ac dona cœlestia copiosè profundens. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo: verè enim & mihi fecit magna qui potens est & sanctum nomen ejus, nam è faucibus Interni me eruit, & è peccatorum fordibus me extraxit: tot beneficiis & gratiæ donis me cumu-

R 4

lavit